

a MARTINO HEGNERO, classis hujus praceptor, ad literas in syllabas cogendas & ad prima fidei christiana elementa fuit institutus. Neque prius in scholasticis subselliis locum occupare destitit, quam singulas scholae classes ordine peragrauit. Postquam igitur omnibus ac singulis scholae triuialis praceptoribus diligentiam, probitatem, modestiam, obedientiam, dexteritatem denique satis probauerat; vix duodecim annos natus a. C I C I C L X X X I X. dignus habitus est, qui Gymnasii Casimiriani ciuiibus adscribetur. Anno ergo, quem diximus, in Ducale Paedagogium translatus, post triennium, anno nimirum C I C I C X C I I. publicis hujus illustris collegii auditoribus fuit annumeratus. Studiosus Gymnaisticus Professorum suorum lectionibus cum publicis, tum priuatis assidue interfuit. A JOHANNE SCHVBARTO, & qui huic successit, JOHANNE SAVERBREIO, Directoribus Gymnasii, Theologiam & Philosophiam addidicit. FRIDERICVS CALENVS, Paedagiarcha, Eloquentiae, Historiae & Philosophiae moralis Professor, stilum latinum, artem oratoriam & linguam italicam eum docuit. Duce JOHANNE ACHATIO COLERO, Mathematum & Linguarum orientalium